

diebus, dum major inibi populi multitudo conveniret ad divina, cum crucis vexillo, pulsatis campanis et accensis candelis, ac demum extinctis et in terram projectis et conculcatis, et cum tria lapidum projectione, aliisque in talibus servari solitis ceremoniis, excommunicatos publice nuncient ac faciant et mandent ab aliis nunciare et ab omnibus arctius evitari, nec non omnibus aliis christifidelibus, ut eos evitent; et parimodo, sub prædictis censuris et poenis, præsentes litteras vel eorum trasumptum, sub forma infrascripta factum, infra terminum trium dierum, ut præfertur, præfixum in ecclesiis, monasteriis, conventibus et aliis eorum locis publicari et affigi faciant; et eisdem venetis, cum per eorum tacitam rebellionem a grege dominico separaverint, cuncta necessaria denegent ministrare, donec cum puncti corde spiritum assumentes consilii favoris nostris monitionibus et mandatis prædictis optemperaverint et meruerint a censuris et poenis prædictis absolutionis ac restitutionis beneficium ac alias integrum reconciliationis eorum gratiam a nobis a sede prædicta obtinere. Excommunicamus quoque et anathemizamus omnes ejuscumque status conditionisve fuerint, qui quominus præsentes litteræ nostræ vel earum transumpta, copiæ seu exemplaria in suis terris aut dominiis legi, affigi aut publicari, ac ad omnium notitiam deduci possent, fecerint vel procuraverint quoquo modo, ecclesiis quoque monasteriis, conventibus et aliis quibusvis sacris locis, in quibus denegatum fuerit per illarum prælatos et personas litteras ipsas publicari, omnia privilegia, omnia indulta, omnes gratias, quibus ab apostolica sede decorantur, adimimus, volentes illas pro non confectis habere. Postremo, quia difficiles foret præsentes litteras ad singula loca deferri, in quibus necessarium foret, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod earum trasumpto, manu notarii publici confecto, vel in alma urbe per dilectum filium Jacobum Mazochium impresso, et sigillo alicujus prælati ecclesiastici munito, ubique stetur, prout originalibus litteris staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Et quia dolus et fraus nemini debent patrocinari, nullus vano decipiatur errore, ut intra tempus sui regiminis prædictas censuras et poenas vel aliquas earum sustineat, quasi post illud non sit ad satisfactionis debitum compellendus, nam et ipsum, qui satisfacere et in aliquorum præmissorum mandatis nostris obtemperare voluerit, etiam deposita administratione et successorem ejus, nisi paruerit, decernimus eisdem poenis inclusum ac in omnibus et per omnia obligatum. Et cum præsentes litteræ Venetiis,

propter eorumdem venetorum potentiam, nequeant tute publicari, ne venetis et aliis, quos litteræ ipsæ contingunt, quibusve aliquod mandatur vel prohibetur per easdem, valeant de præmissis ignorantiam allegare et pretextu ignorantiae hujusmodi, si non paruerint, velamen excusationis assumant, volumus litteras ipsas in valvis basilicæ principis apostolorum de urbe affigi, et hujusmodi affixionem publicari, decernentes quod earumdem litterarum publicatio sic facta per inde, eosdem monitos et omnes quos litteræ ipsæ contingunt aretet. Ac si litteræ ipsæ die affixionis et publicationis hujusmodi eis personaliter lecta et insinuatae forent, cum non sit verisimilis conjectura, quod ea, que tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si monitis prædictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim a sede apostolica indulsum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ hortationis, requisitionis et monitionis, mandati, assignationis, promulgationis, voluntatis, aggravationis, ligationis, decreti, privationis, inabilitationis, prolationis, concessionis, præcepti, inhibitionis, excommunicationis et anathematizationis infringere etc. Si quis autem etc. hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo nono, quinto calendas mai, pontificatus nostri anno sexto.

SIGISMUNDUS.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo nono, indictione duodecima, die vero vigesima-septima mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Julii, divina providentia papæ secundi, anno sexto, præsentes retroscriptæ litteræ apostolice præfati sanctissimi domini nostri papæ affixa et publicatae fuerunt in basilicæ principis apostolorum de urbe ac cancellariæ apostolice valvis seu portis et acie Campiflore per ambos cursorum hic subscriptos, videlicet Evrardum du Vivier, præfati sanctissimi domini nostri papæ et romanæ curiae cursorum, ita est Michael